MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-13

AUTHOR:

PAULY, FRANZ

TITLE:

EMENDATIONES VENUSINAE

PLACE:

[PRESSBURG]

DATE:

[1856]

Master Negative #

91-80313-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Pauly, Franz, 1827-
Emendationes Venusinae. [Pressburg, 1856]
xvi p. 26 cm.

Signed: Dr. Franz Pauly.
"Fragmentum codicis Terentiani Posoniense" is added.
"Progr. d. kath. Gymn. 8, Pressburg, 1856."

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12:2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-28-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Emendationes Venusinae.

Annuae commentationis scribendae munere inposito fieri uix potuit quin aptam materiem anquirens de Horatio potissimum cogitarem, quem ‚nocturna uersaui manu uersaui diurna'. Atque ita quidem rem instituam, ut partim ex scripturis in editione mea*) contra codicum auctoritatem receptis iisque aut a me ipso aut ab aliis inuentis grauiores aliquot eligam argumentis rationibusque fulciendas partim depromam non nullas quae subinde mihi nascebantur probabilitatis specie haud sane ut spero destitutae. At quam olim moliebar et etiam num molior causarum expositionem uberiorem, qua rationem redderem omnium (aut certe plurium) a me uel receptorum uel reprobatorum eam ut iterum in aliud tempus differrem et condicionis, qua nunc utor, uniuersae nouitas et alia munera sat multa contra expectationem mihi iniuncta haud minus quam in qua hic uersor subsidiorum ad Venusinum certe poetam tractandum inopia in causa fuere.

Quae quidem eadem inopia in hoc quoque munusculo conficiendo inpedimento mihi fuit quo minus hic illic longius in uniuersae crisis Horatianae campum expatiarer iussitque hasce quaestiones artissimis plerumque circumscribi finibus nec locos in disceptationem uocari nisi qui quamuis mediocri librorum subsidio ad liquidum perduci posse uiderentur. Nihilo tamen secius spem non abicio fore ut in hisce pagellis non nulla inueniantur aut uirorum qui harum rerum periti et aequi iudices sunt adprobationem haud difficulter motura aut certe uiam ad uerum inuestigandum munitura.

Restant enim permulta in hoc poeta ratione aliquando sananda, cum librorum manuscriptorum omnium ne optimis quidem exceptis ea sit condicio ut iis solis qui ubique genuinam manum poetae reddere conatus fuerit ‚infelix operam perdere' credendus sit. Neque tamen in eorum partes facile discesserim qui ratione abusi potius quam usi ‚fortunam' poetae post tumultus a Peerlkampo inlatos ‚tristi clade iterare' se nuperrime accinxere. Caeco enim amore erga poetam ducti uidentur qui omnes ei maculas abstergere contendunt nec umquam se adduci patiuntur, ut bonum etiam Horatium interdum dormitasse credant. Qua quidem uia si omnes interpretes ita procedere uellent ut pro suo quisque palato suo Horatio indigna rescinderet extruderet in marginem relegaret breui periculum esset nihil fere ne restaret quin esset aliquo modo addubitandum. Itaque in primis in statuendis locis subditiciis summa opus est cautione magisque quam hodie non nusquam fieri solet codices duces sequendi sunt ne quando omnis fere nobis poeta sensim sensimque resecando eiciendoque attenuatus

---

*) Q. Horatius Flaccus recensuit codicum selectorum uarias scripturas addidit Franciscus Pauly, phil. Dr. Lipsiae, sumptibus librariae Hahnianae. A. MDCCCLV.

euanescat. Nolim enim cum I. Apitzio *) praef. p. V spem omnem abicere fore umquam ut sincerum quoddam exemplar poematum Horatianorum alicubi inueniatur, cum praesertim nostra aetate iam non nullis poetarum ex palimpsestis noua et inexpectata lux adfulserit.

Quare nil solliciti de iis qui hanc in poeta conseruando anxietatem et religionem respuunt et aspernantur et altiore crisis genere opus esse conclamitant nos paucula nostra undique decerpta proferamus numquam inmemores poetae uerborum:

Est modus in rebus sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Iuuat igitur initium facere a uersu celebratissimo, qui legitur Serm. I 6, 126. Qui quidem uersus in omnibus quotquot sunt codicibus, duobus tantum exceptis, Blandinium uetustissimum dico et Gothanum alterum, sic scriptus est;

Admonuit fugio rabiosi tempora signi.

Sed postquam Bentleius hanc scripturam alteri duorum illorum codicum cedere iussit:

Adm. fugio campum lusumque trigonem.

uix quemquam reppereris sani iudicii interpretem, qui priorem amplectatur. At idem sagacissimus Britannus quo erat miro ingenii acumine huius uersus ne alteram quidem formam omni scabritie carere et rectissime sensit et argumentis firmissimis comprobauit; quibus addas uelim haec: primum lusus uox nusquam alibi apud Horatium occurrit, sed ubique ludus; deinde ut aut esset usitata aut ἅπαξ λεγόμενον esse aut ludus uocem substituendam putares, at tamen tale adpositionis genus mihi quidem summam dubitationem moueret. Bentleius igitur locum sanaturus conl. Mart. VII 72 scribi uult nudumque trigonem; 'uncti enim' inquit, 'et proinde nudi pila et disco aliisque id genus ludis certabant.' Quam coniecturam etsi non omnino reprobauerim tamen speciosior quam uerior uidetur (nec Bentleius ipse alias non ita anxius immo non nihil audax in textum quem uocant eam recepit) faciliorque et ni fallor probabilior in promptu est eaque ex ipso poeta quasi deprompta. Nam cum Serm. I 5, 48. 49 haec scribat:

Lusum it Maecenas dormitum ego Vergiliusque
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis

et trigonem pilae genus, ipsum autem poetam lippum fuisse satis constet quo de conferas Serm. I 5, 30 lenissima mutatione rescripsi:

fugio campum *inuisumque* trigonem.

Scriptum olim fuit campūmuisumque trigonem, unde prima tantum pedicula uisum uocis longius producta et lineola supra u litt. omissa sponte euasit campumlusumque. Inuisum autem uox hac significatione Horatio est usitatissima; habes in Carminibus: 'inuisi horrida

*) Coniectanea in Q. Horatii Flacci satiras cum uariis lectionibus unius codicis manuscripti bibliothecae regiae Berolinensis. Edidit Ioannes Apitzius. Berolini MDCCCLVI.

Taenari seges, inuisas cupressus, inuisus taurus, inuisam terram', quibus alia multa similia ipse facili opera tibi conligere possis.

Aliam loco medendi rationem nuperrime sibi inuenisse uisus est Apitzius (uid. supra) scribendo: lusumque strigosum. Sed haec coniectura ut breuiter dicam quod sentiam est strigosissima; nec tali uerbo umquam poetam inquinasset si a Bentleio emendare discere quam nimis acerbe minus recte de eo eiusque opere inmortali iudicare maluisset. Cfr. Collect. p. 60. 72 sq. Quis enim est qui strigosum trigonem intellegat? An inde quod equi strigosiores Liu. XXVII 47, capella non strigosioris corporis Colum. VII 6, 9, Lysias toto genere strigosior Cic. Brut. XXI 64 dicuntur iure conligas etiam trigonem strigosum bene se habere. Id neque per se probabile est nec probari potest simpliciter addendo: ‚Strigosum i. e. inornatum, nudum seu gymnicum' id quod Apitzius ad coniecturam suam fulciendam sufficere putauit. *)

Fortasse ne mihi quidem coniectura prospere cessit; modo illud effecerim ut ne quis locum celebratum sanum intactumue praedicet. Kirchnerus quoque, uir post praematuram mortem omnibus Horatii amicis desideratissimus, quem iure tuo dicas ‚multis bonis flebilem nulli flebiliorem occidisse' quam poetae nostro, in noua sua Sermonum editione, quod quidem ingenii sui monimentum uementissime dolendum absoluere eum non potuisse, de Bentleii coniectura rectissime quidem iudicauit (uol. II p. 252) sed ipse emendandi periculum non fecit.

Praemissa igitur de celebratissimo et ad codicum Horatianorum familias aliquando constituendas grauissimo uersu sententia nunc redeo ad Carminum libros periclitaturus primum si possim labem Carm. I 35, 17 insidentem abstergere. Atque de corpus uoce quam Meinekius nuper in dubium uocauit praeeunte Lachmanno, qui sursus pro corpus scribendum sibi uideri dixerat nil sum sollicitus; recte enim corpus tueri possis ex ipso Horatio qui Epod. V 13 haec scripsit: puer Inpube corpus quale posset inpia mollire Thracum pectora; quo loco ad nostrum defendendum aptiorem uix reppereris. Sed hoc in transitu monui. Grauior est de uersu decimo septimo quaestio qui nunc plerumque sic in editionibus exhibetur:

Te semper anteit saeua Necessitas.

*) Idem bene quidem praef. pag. IIII dicit Blandinium Cruquii saepius interpolatum fuisse; sed quos praeter locum supra tractatum adfert alios sunt ii quidem omnes (modo II 3, 188 exceperis) ita comparati ut ne dicam omnino sani sint, at certe 'adhuc sub indice lis sit.' Serm. I 1, 108 nemo facile cum eo hiatum probare quam ex Bland. qui post redeo uocem inserere maluerit; equidem aut id fecerim aut codice Gothano duce, qui habet ne $\overset{\text{nemo}}{\bar{n}}$ ut auarus, et suadente olim Ritschelio emendarim redeo nunc nemo ut auarus. Item Serm. I 3, 57 ille scrib. non illi nec opus est ac uel et uocula post tardo a Bentleio et Hauptio inserta; quippe asyndeton: tardo cognomen pingui damus nil habet offensionis. Ibidem 4. 60 uersemur ex Bland. cum Bentleio rescripserim; idem dicendum de I 4, 87 auet, I 6, 68 nec mala lustra, II 5, 87 elabi ut sic. Sed utut hoc est debebat et poterat A. alia grauioraque et indubitata exempla conligere quibus Blandinium quoque codicem interpolatum esse ostenderet; sed hoc quod sciam nemodum negauit nec memini quemquam illum, posteaquam inde Bentleius campum lusumque trigonem poetae reddidit, tamquam oraculum uenerari (cfr. praef. p. IIII). Sed quod uerum est hoc est: inter uiros de Horatio meritissimos constare 'a Blandinio (quem, ut in transitu hoc moneam, tertio uel quarto p. Chr. saeculo exaratum esse unde Apitzius conlegerit (l. l.) nescire me ingenue fateor; Cruquius enim ante septingentos fere annos scriptum eum uideri contendit i. e. Saec. VIII) sine summa necessitate discedendum non esse' ut dicit Hauptius obseruat. crit. p. 35.

Atque anteit scriptura in omnibus codicibus et editionibus; saeua non in omnibus; immo in optimis ut Cruquii Blandiniis, Orellii Turicensi et Bernensi antiquissimo serua extat. Sed, ut ab anteit scriptura proficiscar, ne hodie quidem a me impetrare possum ut incorruptam eam credam; sed olim minus feliciter conieci fortasse ambit scripsisse poetam. En igitur noua coniectura!

Poeta inde a primo uersu usque ad undeuicesimum nihil aliud agit nisi ut Fortunae summam uim et potestatem digne describat; at si Necessitas Fortunae anteit, Necessitas superior euadit Fortuna; itaque minueret poeta Deae uim et potestatem, quam exaggerare et cumulare hoc loco per octo strophas studet et studere sane debebat; illud ut taceam te pronomen per anastrophen quater repetitam et priore altero quarto loco Fortunae uim egregie significantem tertio contrariam sententiam incipere non posse. Quae cum ita sint reiecta quam olim proposueram ambit scriptura quippe haud feliciter excogitata nunc lenissima mutatione sic locum refingam:

Te semper *audit*

ita ut uel Necessitatem Fortunae seruientem, ei obedientem, iussa eius exequentem, eam audientem poeta fecisse credendus sit. Similiter audiendi uoce utitur Horatius Carm. I 13, 13; Non si me satis audias Speres perpetuum e. q. s.; item in fine carminis 14 libri IIII ubi Augusti potestatem descripturus eadem per te uoculam anastrophe usus haec scribit: te Cantaber, te Scythes miratur, te Nilus, Ister, Tigris, Oceanus, te non pauentis funera Galliae duraeque tellus audit Hiberiae te e. q. s. quo eodem modo Carm. III 8, 21 seruiendi uoce utitur. Atque sic in usum meum conuerto Orellii uerba: ‚Illa igitur, inquit, ueluti *σύνναος πάρεδρος* Fortunae seuere ea exequitur quae placent Fortunae.

Quae si recte disputata sunt etiam ex uariis scripturis serua et saeua utra potior sit facilius erit iudicatu. Atque ut illico dicam quod sentiam ego quidem nullus dubito, quin serua a poetae manu sit profectum; audit enim uoce semel corrupta in anteit, serua quia non anteire sed sequi dicenda erat (cfr. Bentleii adnotationem ad h. l.) facillime et sponte in saeua mutata est. Quo eodem ducunt Blandiniorum adnotationes quae auctore Cruquio ‘uno consensu hic de seruitute loquuntur‘ quamquam satis turbulente. Ut totum uersum sic refingam:

Te semper *audit serua* Necessitas e. q. s.

In stropha eiusdem carminis sexta qui pannum de qualibet ueste intellegi posse existiment falli dicit Meinekius p. XI. Nec ego ullum exemplum repperi, quo haec significatio ita posset probari, nihil ut resideret scrupuli. At potest certe fieri ut de capitis tegumento quodam accipiendus sit ut est apud Val. Max. VI 2, 7, VII 2, 5. Quamquam ne hoc quidem constat Fidem caput uelatam fuisse; turbant Acro et Commentator Cruquii qui ‚Albo, inquiunt, panno caput uelabant qui Fidei sacrificabant;‘ turbat Seruius ad Verg. Aen. VI 636 qui ‚Fidei, inquit, panno uelata manu sacrificabatur quia fides tecta esse debet et uelata!‘ Sed quid inpedit quo minus Horatium pannum pro ueste qualibet noue dixisse credamus, ut etiam alia satis multa eum nouasse non est quod moneam. Ego certe alterutrum, donec fortasse aliunde huic uerbo noua lux adfulserit, statuere malim quam propter hoc unum uerbum totam stropham in ceteris satis superque Horatio dignam rescindere.

Stropham autem septimam haud sane mihi persuadere possum ab Horatio esse scriptam.

Quid enim hoc loco sibi uult uolgus infidum? Nonne sufficiebat dicere manere Fidem? An quid ad Fortunae potestatem describendam redundat addendo: ‘uolgus infidum et meretricem periuram‘ non manere sed relinquere amicos fortuna mutata? Hic pannus mihi uidetur inepte adsutus et quo non solum praeclara sententiarum symmetria, quam uocant, euanescit sed etiam egregia Fortunae imago et dignitas mirum quantum maculatur atque inquinatur. Ergo apage hinc uolgus infidum cum meretrice et cadis siccatis excludanturque ex hoc Dearum consortio.

Eiusdem libri carm. 37 uersus 24 est difficillimus et quasi scopulus interpretum et criticorum naufragiis infamis. Quid enim est: Cleopatra latentis oras classe cita reparauit? Orellium audias locum sic enodantem: Spe noui regni condendi alias sibi parare et adsequi studuit regiones pro illis, quas amittendas Caesarique relinquendas esse uidebat i. e. pro Aegypto? Sed quis quaeso umquam sic usus est reparandi uoce? Locis ab Orellio adlatis ex suis Inscr. lat. N. 1587 et Auson. Mosellae 35 nil probatur; id ipse sensisse uidetur uir egregius cum satis dubitanter causam agat? ‚Ceterum, inquit, usus hic uerbi reparare prope singularis est; proxime fortasse accedat Inscr. mearum e. q. s.‘ Similior uidetur sane Carm. 31 us. 12 (quem locum Apitzius uel plane eundem ac nostrum iudicat p. 129 ad Serm. II 5, 2); ubi uina Syra merce reparari dicuntur; sed uidetur tantum, neque tamen est; bene enim dicitur reparare aliquid aliqua re i. e. permutare aliquid aliqua re; sed absolute reparare aliquid nemo umquam quod sciam Latinorum dixit. Ut satis mirum sit multorum interpretum, qui in Orellii sententiam abire non dubitant, ut Dillenburgeri obsequium. Sic quocunque te uerteris nullis omnino machinis effeceris ut reparandi uerbum Latini sermonis rationi et usu pariter atque totius loci naturae et sententiae nexuque satisfaciat.

Locus est igitur coniecturis; nec facile alterum reppereris criticorum ingeniis aeque tentatum. En tibi sunt quas proposuerunt: penetrauit Bentleius, repedauit Titius, perarauit Bouhier, remeauit Oeseke (?), properauit Guaccius, trepedauit Hammerstein. Nolo tamen in his conatibus quorum alii sunt aliis infeliciores recensendis longus esse, cum de plerisque quid statuendum sit aut aliunde iam satis superque constet aut primo statim obtutu intellegatur. Proxime ad uerum accessisse mihi uidetur Meinekius qui praef. pag. XII corruptelam non in sola reparauit uoce inesse sed etiam classe cita uoces inuasisse rectissime statuens sanam utique sententiam Horatio reddidit coniciendo:

nec latentis
Sollicitare parauit oras:

i. e. non instituit interiores regni partes ad bellum renouandum instigare. Tum uero ipse addit: ‘At iusto audacior est ista mutatio: fateor, sed uerbis citare parauit semel in cita reparauit corruptis quod reliquum erat facile in classe a correctore mutari potuit.‘

Vide igitur num facilior et lenior sit emendatio quam ego eandem ac Meinekius sententiam requirens olim proposui quaque ne nunc quidem cogitanti mihi omniaque denuo pensitanti ut meliorem reperirem contigit; quamquam tunc eo procedere non ausus sum in textum ut eam reciperem. Est autem ex ipso Horatio deprompta emendatio haec:

nec latentis
Clade iterare parauit oras

ut Carm. III 3, 61, 62 consimili ratione dicit: 'Troiae renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur; cui exemplo facile alia ex aliis scriptoribus deprompta addi potuerint quibus idem iterandi repetendiue uerbi usus probetur. Cfr. Senec. de ira II 34, III 27: Liu. IX 28; Suet. Claud. 44. Quae igitur nostra scriptura, quam sic fere scriptam animo fingas: Cladeit'are parauit, cum semel abiisset in clade citare parauit i. e. clade cita reparauit facile clade mutatum est in classe. — Certe id perspicuum est ex clade scriptura facilius euenisse classe quam ex Meinekiana solli [citare]. Sed utcumque de hac re iudicas, statuendum uidetur duplicem Cleopatram quaesiuisse generositatem; altera in eo inerat quod sibi ipsa mortem dare maluit quam capi et Romam deduci ad triumphum uictoris exornandum; in eo altera quod eo temeritatis et crudelitatis procedere noluit, ut populi bello penitus exhausti et quasi semimortui quae reliquae erant uires maxime exiguae tenuesque sine ulla prosperi euentus spe perderet. Sic, credo, omnia recte in carmine procedunt.

Carm. II 2, 18 ut plebis scripturam e codicibus Blandiniis et Turicensi recte reduxisse mihi uideor pro uulgata plebi (est enim constructio 'Graeco fonte parce detorta' Art. poet. 53) haud adeo sollicitus de Prisciano p. 1158 P., quippe cum eius ipsius temporibus iam multifariam deprauata fuisse Horatii carmina et confessa res sit et ipse Priscianus testetur (cfr. p. 711 P.): ita uersum hypermetrum et hoc loco expellendum curaui recepta beatum scriptura pro beatorum uulgata et Carm. II 16, 34. Nam quod inter tertium et quartum strophae Sapphicae uersum intercedit uinculum artissimum, ita ut quasi unum efficiant uersum (indidem factum est ut in multis libris manuscriptis uel scripti adpareant uno tenore) idem ut ne pari ratione in secundum tertiumque cadere credas et strophae natura totaque indoles suadet et auctor tibi sit uelim ipse Horatius, quem (nisi particula que Carm. IIII 2, 12) hos uersus nusquam conligasse mecum statuas. —

Atque haec potissimum ratio me commouit ut Carm. II 2, 18 rescriberem beatum, quod propter significationis similitudinem diuom genetiuo addere quamuis aduersante Meinekio l. l. p. XIII non dubito. Difficilior sane est Carm. II 16, 34, sed tamen de probabili emendatione non desperandum. Num prospera alea usus sim penes alios sit iudicium. Vide igitur: cum semel ad hinnit uocem um litterae ex postrema uersus 33 uoce male delapsae essent, ad hinnitum uocem uerbum requirens librarius tollit scripsisse censendus est. Genuina autem scriptura fuerit:

. . . . tibi *mollis hinnit*
Apta quadrigis equa c. q. s.

Ut iam equa tali epitheto non careat quali greges, uaccae, lanae, rura, spiritum uoces ornatas eodem loco habemus; apta autem pro iuncta non pro idonea accipiendum. Mollis autem ut deriuandum a moueo ita est mobilis, agilis, facilis; equa igitur mollis est equa cruribus agilibus, ceruice agili, semper iuueniliter exultans; similiter Verg. Georg. III 76 crura mollia equi pulli commemorat; Aen. XI 622 Latini mollia colla equorum reflectere dicuntur. Sed iam manum de tabula.

Carm. II 8, 2 scripsi Larine pro uulgata Barine; cfr. Verg. Aen. XI 655 et Bentleii adnotationem. Meinekius l. l. p. XIIII. 'non multum tribuo, inquit, coniecturae meae qua Carine scribendum suspicatus sum: non credo tamen Barine incorruptum esse.' Fortasse *r* littera duplicata reponendum est ***Barrine*** ad 'meretricem periuram et rapacem', ut habent carminis inscriptiones, significandam; atque quidem a barrus uoce quae est Epod. XII 1: mulier nigris dignissima barris. Eodem certe modo Serm. I 3, 40 a balbus uoce Balbinus deriuandus est, nec dubium est quin pari modo poeta etiam Balbine, Balbina fingere potuerit. Cfr. quae Apitzius l. l. p. 20. 21 hac de re recte disseruit. Ego neque in hac de nominibus apud Horatium propriis quaestione nunc longius expatiari uolo nec de Barrine confidentius statuere. At facere non possum quin hoc loco de Pyrrhia pauca dicam quae est Epistul. I 13, 14:

Ut uinosa glomus furtiuae Pyrrhia lanae.

Lachmannus ad Lucr. p. 408: 'Pyrrhia, inquit, neque Graecae neque Romanae feminae nomen est nec potest dubitari, quin a librariis illud ita corruptum sit.' Sed omnes libri mss. in hoc nomine consentiunt, nisi quod alii alia orthographia utuntur: pirria, piria, pyrria al. Meinekius obelo praefixo Lachmanni sententiam sibi probari indicat. Emendandi periculum quod sciam nemodum fecit praeter O. Ribbekkium libri 'Comic. lat. praeter Plautum et Terentium reliquiae. Lipsiae apud B. G. Teubnerum a. MDCCCLV' p. 123.

Commentator enim Cruquii haec habet: 'Pyrrhia: nomen ancillae in fabula quadam Titinii, quae furata lanae glomus ita gestauit, ut deprehensa sit.' Quae secutus Neukirch fab. tog. non dubitauit fragmentis Prociliae nomine insignitis Pyrrhiae nomen inscribere; quod iure non probat Ribbekkius l. l.; 'nam, inquit, nec de lanae glomere nec de pallio dicitur fragm. V nec uinosam statim esse cui bibendum dari iubeatur fragm. VI facile euincas.' Quibus addas uelim: etiam si fragmenta illa prorsus in locum nostrum quadrarent, inde nondum consectarium fieri, inscriptam fuisse fabulam Pyrrhiae nomine; poterat enim Pyrrhia eiusdem fabulae quaelibet alia persona esse. Jam ipse Ribbekk. 'auctore Lachmanno, inquit, si aliam formam anquiras, uersui quidem satis adcommodatum sit Proclia ad 'Turpleiorum' et 'Marcleiorum' exemplar (cfr. Ritschelius de sepulcro Furiorum Tusc. p. V) proxime accedens.' Quam quidem coniecturam sine ulla dubitatione amplecterer, nisi mihi persuasum esset, sincerum genuinumque esse Pyrrhia nomen. Verum quidem est, nusquam alias hoc nomen reperiri; sed finxisse idem poeta credendus est; atque quidem non solum in uinosam mulierem optime *τοῦ πυρός* color quadrat (Festus s. u. Burrum...... 'pari modo, inquit, rubens cibo et potione ex prandio burrus adpellatur')sed etiam iusta ratione formatum uidetur. Neque enim minus potuit Horatius e Pyrrho fingere Pyrrhia, quam ex *Εὔπορος* factum est *Εὐπορία*, ex *Εὔβουλος Εὐβουλία*; cfr. *Μόλπος Μολπία*, *Κόρος Κορία*, *Φαῖδρος Φαιδρία*. Adde quod Priscian. I 41 (p. 32 ed. Hertz. in Corp. Gram. Lat. ex rec. H. Keilii Lips. Teubn. 1855) VII 4 (p. 286) et in fine libri V (p. 192) idem nomen Byrrhia s. Byrria adfert, quamquam his locis est generis masculini; ex eodem certe fonte deriuandum est. His equidem adducor ut Pyrrhiam Horatio integram relinquendam censeam.

In Carmine 17 eiusdem libri nec cum Peerlkampo postremas quinque strophas a tribus primis resciderim nec 'ridiculum *πάθος*' quartae strophae agnosco. Ego et olim malui et etiam num malim Horatio laudem poetae omnibus fere ex numeris perfecti ac perpoliti detrahere quam meum mihi Horatium fingere omnia minus mihi placentia resecando. Quod ipse Meinekius ceteroquin in

crisi factitanda Peerlkampi uestigiis haud mediocriter insistens praef. p. XIIII de Carm. II 11 dicit fieri certe potest ut ab aliis pariter de aliis locis proferatur. Quod tamen si uerum est, ubi tandem erit addubitandi resecandi expurgandi finis? 'Carmen hoc, inquit, non diffiteor me in iis semper habuisse, quae orationis castitate imaginum uenustate sensuumque ueritate prae ceteris commendantur; at uide quam diuersa sint hominum palata! Quod enim carmen nos impense laudamus, idem Batauus criticus Horatio prorsus indignum censet et ad uilissimos ingenii fetus abicit.' Nos igitur qui in aliis carminibus sat multis alio ac Meinekius palato utimur in hoc quidem eodem usi sumus nil eicientes. — At leniorem corruptelam uersu 25 insidentem cum uoculae, pro qua a Lachmanno in Rhen. Mus. III 616 edocti Hauptius et Meinekius cui scripserunt leniori mihi emendatione et, ni fallor, probabiliori expellere uisus sum tum scribendo ut uerba: 'tum populus frequens laetum theatris ter crepuit sonum' per parenthesin addita accipienda sint. Cui autem illud Lachmannianum a te pronomine nimis remotum est.

Igitur transeo nunc ad tertium Carminum librum, in quo, ut inde initium faciam, nunc aegre fero quod Carminis primi primam stropham a reliquis non seperaui auctore Meinekio, qui l. l. p. XVI: 'dubitari, inquit, non posse uidetur quin hanc Stropham prohoemium esse uoluerit Horatius non huius tantum carminis sed etiam sequentium eodem metro scriptorum;' quod ipsum poetam diserte monere recte credideris cum dicat uersu altero: carmina (non dicit carmen) non prius audita...... canto.

Quibus praemissis nunc de loco uexatissimo qui omnium interpretum et criticorum ingenia exercuit olim hodieque exercet disputabo. Est autem carminis quarti uersus decimus:

Altricis extra limen Apuliae.

Uersus initio nutricis inter et altricis fluctuant; equidem ex duobus Blandiniis codicis Turicensi duobus optimis Bernensibus priorem praetuli; sed haec res est haud ita magni momenti; foedissime corruptae sunt limen Apuliae uoces in fine uersus. Haec confessa res est atque post summi Bentleii et qui hunc locum defendere student Orellium, Dillenburgerum alios, denique Horkelii (Analecta Horat. p. 31 sqq.) adnotationes uberiori causarum expositione supersedere me nunc quidem posse puto; cfr. Lachm. Lucr. p. 37. Item non longus ero in enumerandis refutandisque coniecturis quas congestas habes praeter Horkelii suspicionem limina adulterae apud Orellium, et ex quibus olim quamuis dubitanter (obelum enim praefixi) Paldami (Rhen. Mus. VI 633) coniecturam limina Dauniae recepi, quippe qua tunc ut meliorem inuenirem nondum contigerat; sed statim quae post mihi subnata est emendatio proponam.

Ad uerum igitur proxime accessit Bentleius pro Apuliae scripturus sedulae; cui adstipulatur Horkelius ita ut non de terra nutrice sed de muliere cogitet, dissentit in eo quod castigari exprobrarique non laudari uult nutricem 'quo magis eluceat deorum clementia' in poetae uita seruanda. Sed uix cuiquam de sententiae suae probabilitate persuaserit. Equidem Bentleii uestigiis insisto propiusque ad litteras accedens scribendum esse conicio:

Nutricis extra *lumina prouidae.*

i. e. extra oculos nutricis me alias cautissime obseruantis tuentis. Lumina (quod in limen uoce et *u* littera uocis Apuliae latere puto) oculi sunt ut innumeris apud alios poetas locis ita apud Horatium Carm. IIII 3, 2: 'Quem tu Melpomene semel Nascentem placido lumine uideris.' Prouidae autem uox scripta erat: puidae unde singulis litterarum ductibus minus adcurate exaratis facile exstitit pulciae, pulliae ut in codice Turicensi est limen a pulliae, in Bernensi antiquissimo limina polliae. Prouida autem nutrix pariter dici posse ac Cic. N. D. II 22: 'natura consultrix et prouida utilitatum opportunitatumque omnium;' ibid. II 51: 'haec omnia esse opera prouidae sollertisque naturae;' Ouid. Fast. II 60: 'prouida cura ducis' similia neminem spero infitias esse iturum. — Sic locum sanasse et genuinam poetae manum reddidisse mihi uideor.

Carm. IIII 2, 33. 41 auctore Lachmanno (Rhen. Mus. III 616) pro concines quae est omnium codicum scriptura recepi concinet. Etenim si scripsit Horatius concines aut Iulum Antonium poetam lyricum eumque tanto operi parem fuisse necesse est aut nimiae adulationis notam traxit Horatius adpellando Iulum 'maiore poetam plectro' uers. 33. Atqui poeta quidem fuit Iulus modo sit fides habenda scholiastis qui eum Diomedeam XII libris scripsisse adserunt; at lyrica eum composuisse carmina et ita quidem ut non esset 'apis Matinae' consimilis 'grata carpentis thyma per laborem plurimum' sed Pindari 'more modoque' Augustum redeuntem celebrare posset nec indidem consectarium est nec aliunde constat. Igitur in uniuersum Horatius dixisse statuendus est, alium quemlibet 'maiore plectro' poetam carmen illud esse compositurum: quod si factum esset sese et carmen secundarium esse canturum: 'Tum meae si quid loquar audiendum Vocis accedet bona pars et O Sol pulcher e. q. s. canam' et publicis adclamationibus se interfuturum.

Sed Strophae decimae tertiae in qua alteram hanc sententiam habemus primum uersum qualis in codicibus et omnibus editionibus legitur haud equidem incorruptum crediderim. Nam neque sic: Teque dum procedis io Triumphe e. q. s. nec sic: Teque dum procedit io Tr. e. q. s. nec denique: Tuque dum procedis io Tr. e. q. s. sententia mihi ullo modo satis facit. Omnium autem interpretationum minime placet quae est frequentissima: per Te uoculam adpellare poetam Triumphum: atque in hanc sententiam etiam Orellius et Dillenburger abeunt quorum alter priorem alter alteram scripturam amplectitur. Orellius haece dicit: 'Interpretare igitur: Dum procedit Augustus triumphans a porta triumphali usque ad Capitolium nos te Triumphe non semel sed continuo dicemus sacra (ut ait Schol.) et laeta adclamatione nomen tuum ita identidem repetentes: Io Triumphe, Io Triumphe!' Cfr. Orellii et Dillenburgeri adnotationes. Sed equidem nullo pacto cogitari posse uers. 49 de ipso Triumpho adpellato, uers. 60 uero de adclamationis forma, immo in ipsa repetitione adclamandi formam bis positam uidendam esse ratus non potui non de loci corruptela cogitare cum Bentleio cuius uberiorem et subtilissimam adnotationem legas uelim neue expectes me hoc loco omnes singulorum interpretum conatus plus minusue contorsos deinceps esse recensurum Mitto etiam Bentleii coniecturam, pro teque scribendum esse isque, quam minus prosperam esse et

nimis pedestrem orationem redolere parumque Horatianae (ne dicam omnino poeticae) dicendi rationi conuenire non est quod moneam. Accipe igitur quid ego sentiam. — Atque primum quidem scribendum esse conicio:

Terque dum procedit, Io Triumphe
Non semel dicemus; Io Triumphe
Ciuitas omnis e. q. s.

ita ut maiore interpunctione post dicemus facta alterum illud io Triumphe ad ea quae sequuntur referendum sit. Ter autem illam adclamationem factam esse Carmen Fratrum Arualium testis tibi sit; cfr. Orellii adnotationem. Sed etiam sine diserto hoc testimonio non dubitabis de ter uoce mecum cogitare modo solemnem eius usum apud Hor. conlatis quos infra ascripsi locis ex eodem depromptis perspexeris: Carm. I 13, 17. 28, 36. II 17, 25. 26. III 3, 65. 18, 16, 22. 3. Carm. saec. 22 sq. Serm. II 1, 7. Fortasse etiam quae Ferr. de uet. adcl. IIII 9 sq. et Brissonius de form. IIII 33 narrant (quorum tamen nunc mihi copiam facere non potui) non nihil ad coniecturam meam firmandam faciunt. At erunt fortasse qui dicant nimis pedestrem orationem redolere quae deinde uersu quinquagesimo addantur non semel uoces; atque ingenue fateor me quoque haec male nunc habere. Vide igitur num praestet illa quoque lenissime sic emendare:

Nos simul dicemus: Io Triumphe
Ciuitas omnis e. q. s.

Sententiarum ut euadat conexus hice: 'Ad Caesarem modo ipsius magnitudine et uirtutibus digno celebrandum opus est carmine Pindarico (uers. 1—24); ego autem, 'qui operosa paruus carmina fingo,' tale carmen componere non possum, Iule! (24—32) Ergo concinet alius quilibet 'poeta maiore plectro' Augustum redeuntem (32—45); ipse addam carmen secundarium leuioris generis incipiens fortasse sic: O sol pulcher o laudande! (45—49) denique nos simul cum tota ciuitate triumphatorem solita adclamatione 'Io Triumphe' ter salutabimus dabimusque diuis tura benignis (49—52); nec deerunt uictimae ab utroque nostrum pro re et facultate mactandae (53—60). Sic omnia ni fallor rectissime procedunt. Sed modo meliora quis hisce in medium protulerit aut interpretando aut emendando non surdis auribus cantabit.

Eiusdem libri Carminis quarti uersum 15 interpolatrici manu male attrectatum post Bentleii egregiam disputationem qui qualis in codicibus legitur

ab ubere
Jam lacte depulsum leonem e. q. s.

hodie defendere uelit uix ac ne uix quidem reppereris. Quod Orellius dicit ubere esse non posse adiectiuum quippe cum otiosum sit epitheton immo ineptum nec uero conuenire cum iam particula quo posita sit loco, bene factum, male factum quod ubere pro substantiuo accipiens lacte depulsum quasi in unam notionem coaluisse existimat. Nec laudare debebat Regelium qui 'cum mater, inquit, iuuenem leonem ab ubere depellat ut lacte eum prohibeat, sine uerborum abundantia (??) leo dici potest ab ubere matris lacte depulsus; additum enim lacte significat (?) id a cuius usu

prohibetur qui a matris ubere depellitur.' Etenim quis quaeso est qui sic umquam latine dixerit? exemplis comprobandum erat non adserendum tantum hoc ita fieri posse. Summo igitur iure Bentleio e coniectura salus huius loci petenda uisa est; sed quas proponit duas iam mane et iam sponte earum neutra ne ipsi quidem satis facit; nam 'equidem, inquit, ut non temere contenderim sic ab Horatio profectum esse ita libere dicam non deterius immo melius aliquanto hoc esse quam quod uulgo circumfertur.' Lachmannus iam (macte!) depulsum coniecit; sed, cum pace id summi uiri dixerim, infelicissime id excogitatum, nec ipse si adhuc in uiuis esset, nunc aliter non sentiret. — Vide igitur num forte mihi prosperius emendatio cesserit; scripsi enim iam in editione mea pro iam lacte: lactante; quod siue in iālacte (i. e. iam lacte) librariorum incuria et socordia mutatum credis siue iā (i. e. iam) ex praua iteratione duarum priorum lactante uocis litterarum exstitisse autumas (quo semel facto una syllaba superuacanea sponte fieri poterat ex lactante: lacte) ad litteras quidem quod attinet haud nimiae audaciae notam meruerit. — De lactandi autem uoce noli esse adeo sollicitus: conferas Ouid. Metam. VI 442:

Vberaque ebiberant auidi lactantia nati.

qui locus aeque atque Liu. XXVII 4: 'equum cum ubere lactenti (quod idem est atque lactanti) natum' prorsus in nostrum quadrat. Similis est lactendi uox in primis de herbis sucum lacteum, umorem lacteum continentibus: Ouid. Fast. I 351: 'Sata uere nouo teneris lactentia sucis'; Verg. Georg. I 315: 'Frumenta in uiridi stipula lactentia turgent'; Plin. XX 7, 26: 'Lactuca lactens.' Possit igitur etiam lactente apud Horatium locum habere; tum corruptelam sic exstitisse animo finxeris: pro lactente scribebant lactete lineola supra priore *e* uocali posita; librarii alteras te litteras omiserunt de praua iteratione, de dittographia cogitantes; quo facto deerat uersu una syllaba quam restituerunt iam uoce addita. Sed alterum illud nos quidem magis adridet; ergo sic scribendum:

ab ubere
lactante depulsum leonem.

Carminis sexti uersu 17:

Sed palam captis grauis heu nefas heu!

etiam num de captis scriptura dubito; nuper iam obelum praefixi. Inprimis male me habet datiuus grauis uerbo additus! pueris enim 'fari nesciis' necandis, his ipsis magis quam captis grauis exstitisset; deinde uerbis: 'ille non inclusus .... falleret aulam' haud sane bene opponuntur palam capti. Antiquitus excidisse uidetur uocabulum: ut in Turicensi, Bentleii codice Regiae societatis deest, in Graeuiano superne ascriptum: captis; itaque alii codices habent uictor alii raptor; etiam in Blandiniis, modo sit fides habenda Cruquii silentio, captis scriptum fuit. Equidem rescribere malim:

Sed palam *capta*, grauis heu nefas heu!

uel *captae* ita ut sit genetiuus pendens ex pueros uoce! utraque mutatione uniuersae sententiae, ni fallor, multum ponderis accedit et artiore uinculo cum iis quae praecedunt conligatur; 'non fal-

leret‘ aulam, sed palam capta crudelis (i. e. grauis) nescios fari pueros Achiuis ureret flammis etiam latentem matris in aluo.‘ Certe melius hoc est quam quod uulgo circumfertur.

Quos supra tractaui Carminum uersus iis nunc ex Sermonibus paucos subnectere placet. Quorum quidem primus est I 5, 2. 3; ubi haec sunt poetae uerba:

rhetor comes Heliodorus
Graecorum longe doctissimus e. q. s.

Atque sic in plerisque editionibus legitur. Sed in tribus codicibus Blandiniis, Gothano et Bernensi altero pro longe scriptum est linguae. Equidem non adsentior Kirchnero uol. II part. I p. 184 haec scribenti: ‘Es ist kaum der Mühe werth die von Baxter vertheidigte Lesart vieler Handschriften Graecorum linguae doctissimus zurückzuweisen, da es für einen Rhetor ein sehr geringes Lob sein würde, seiner Sprache kundig zu sein, was schon Lambin bemerkt hat,‘ sed aut uerissimam linguae scripturam esse iudico aut certe in ea latere. Dicere hoc solent cum Kirchnero omnes fere interpretes, non adeo laudi fore Heliodoro, si summa linguae cognitione imbutus dicatur; at dic sodes, nonne potest quis artis rhetoricae praecepta tradere nec tamen esse linguae doctissimus? An forte omnes rhetores eadem linguae scientia ornatos credideris? Contra ueri dissimillimum est, poetam in uniuersum uocasse Heliodorum ‘Graecorum longe doctissimum;‘ sic certe nusquam praedicandi celebrandique modum excessit; ut illud taceam uix intellegi ‘doctissimum Graecorum‘ sic nude positum et desiderari id in quo doctissimus fuerit.

Reducenda igitur optimorum codicum scriptura linguae (ut Art. poet. uers. 380 scribit: ‘Indoctusque pilae disci trochiue quiescit‘) uel potius, ne duo genetiui ita iuxta sese ponantur ut alter ex altero pendeat, lenissima mutatione:

Graecorum *linguam* doctissimus.

conl. Carm. III 8, 5 ubi de Maecenate dictum: ‘docte sermones utriusque linguae‘: nec dubitaui hanc scripturam in textum quem uocant recipere. Sed maioris quam hoc momenti est interpretatio loci; neque enim mihi cum Apitzio linguae doctissimus simpliciter est λογιώτατος (uid. l. l. p. 49), sed his uerbis diserte poetam confirmare et olim credidi (in Quaestt. Horatt. critt. p. 32 sq.) et nunc magis etiam mihi persuasum est Theodori Bergkii coniecturam propositam illam in Mus. Rhen. a. 1842 p. 374. Nimirum ille putat ‘qui hoc loco memoretur Heliodorus non diuersum esse ab Heliodoro grammatico quem a Veteribus in numerorum inuestigandorum arte principem habitum esse constet; atque adeo credibile esse hunc ipsum Heliodorum Horatio praecepta metrica tradidisse, quia ‘rhetoricae et grammaticae studia coniunctissima fuerint.‘ Igitur Horatium ipsum uerbis linguam doctissimus significasse grammaticum Heliodorum puto. Atqui grammaticos constat etiam artis metricae praecepta tradere solitos esse; quod si uerum est huic loco Horatiano prorsus conuenit quod Marius Victorinus p. 2541 Putsch.: At Iuba noster, inquit, qui inter metricos auctoritatem primae eruditionis obtinuit, insistens Heliodori uestigiis qui inter Graecos huius artis aut solus aut primus est e. q. s.

Num autem idem Heliodorus Horatii praeceptor fuisse credendus sit propter aliorum testimoniorum inopiam dubium relinquitur quamquam mihi quidem uel hac ex parte Bergkii coniectura probatur; quod idem olim l. l. p. 33 dixi.

Libri II Eclog. III uers. primo primum scripsi si non sic, quod Kirchner ex peioribus codicibus nuperrime recepit; qui de ut particula nude posita dubitant cum Heindorfio aliisque, conferant cum Meinekio l. l. p. XXVIIII hos locos: Serm. I 1, 96; II 7, 10; Epist. I 16, 12. Sed nolo de hac re confidentius statuere cum praesertim haud multum interesse uideam ab utra parte quis stare malit; equidem codices secutus sum. Maioris momenti maiorisque difficultatis est de scribis et scribes scripturis quaestio; scribes quod recepit Bentleius ‘aperta est metrici correctio‘ et sententiam nimis languidam et pedestrem orationem reddit redolentem. Scribis autem postremam syllabam nullo pacto productam habere potest; nam quod dicere solent arseos ui syllabas breues produci posse ‘ne unum quidem, ut iterum Meinekii uerbis utar, ex toto Horatio exemplum adferas.‘ Postrema syllaba in condiderit Serm. II 1, 82 ut in coniunctiuis perfecti natura est producta; melius attulisset Krüger exempla qualia sunt Carm. III 24, 5 si figīt adamantinos. Serm. I 4, 72: qui non defendīt alio, ibid II 3, 261; exclusus qui distat agīt.

Sed de his sic statuendum est; antiquitus it syllaba perfecti temporis producta fuit, ut producta mansit in compositis uerbi ire; paulatim haec syllaba in correptam abiit ita tamen ut producta rarius apud poetas adpareat; ita apud nostrum Carm. I 3, 36: perrupīt; quam productionem ignorantes librarii emendarunt perrupitque; ergo non arseos ui producta est illo Carm. loco. Jam uero haec de it perfecti lex antiqua hic illic male etiam in it praesentis tertiae coniugationis translata esse putanda est euanescente scilicet sensim lege illa ex poetarum sensu. Cfr. Ritschelii Prolegg. ad Trin. p. XCXXIIII sqq. et Fleckeisenum in Jahnii anal. tom. 60 et 61.

Neque magis arseos ui producitur Carm. II 6, 14 ridet, II 13, 16 timet, ibid. 36 arat et quae sunt similia; sed haec quoque syllabae antiquitus productae erant quia prima, quam uocant, altera, quarta coniugatio sunt coniugationes contractae exeuntes in ao, eo, io; sensim sensimque haec quoque syllabae corripiebantur ita ut longae rarius hodie reperiantur. Cfr. locos supra laudatos. Quare Lachmanni emendatio altero loco (II 13, 16): timetue opus non est. Idem dicendum de periret uoce Carm. III 5, 17; producta fuit olim *e* littera in coni. imp. ut etiam num in plurali producitur semper; itaque ne hoc quidem loco opus est coniecturis, ut Lachm. Lucr. p. 17 perires alii alia proposuerunt (uid. Orell. adnot. crit.)

Sed indidem nostro loco scribis scripturae excusatio peti nequit: quare corruptela uersui insit necesse est. Meinekio l. l. corrigendum uidetur: ‘Si raro scribis tu ut toto‘; sed non intellego cur poeta addiderit tu pronomen; liceat meam emendationem iuxta ponere, quae, ni fallor, et sententiae magis conuenit neque a litteris est multo audacior; est autem quam olim proposui p. 275:

Si raro scribis *uel* toto *ut* non quater anno e. q. s.

uel in codicibus scriptum adparet *ul*, quo semel in *ut* corrupto facile alterum *ut* omitti a librariis

poterat. Sed utut de utraque iudicabis caue cum Apitzio l. l. p. 110 de transpositione cogites: sic scribis raro ut, nihil cum eo de hiatu sollicitus.

Tantum est emendationum Venusinarum: transeundum nunc erit ad Terentii fragmentum Posoniense a me inuentum in bibliotheca Archigymnasii quod uocant.

Fragmentum Codicis Terentiani Posoniense.

Hoc fragmentum pars est codicis membranacei formae quadratae saeculi, ut uidetur, decimi; quamquam in hoc me facillime errare posse ingenue fateor; est autem perquam nitide luculenter emendate scriptum; uersus habet in utraque pagina triginta; in margine erant scholia quae tamen cum folium libro cuidam pro tegumento esset inligatum maximam partem soluendo sunt oblitteratae. Atque quantum quidem ex huiusce modi fragmentis iudicium fieri potest, ex conlatione cum G. Stallbaumio et Eduardo Vollbehrio ‘qui Ricardi Bentleii editionem conlatis prioribus omnibus repetendam curauit‘ Kiliae MDCCCXLVI instituta haud sane ueri dissimile uideatur codicem in meliorum numero fuisse. Sed rectius hac de re alii iudicent ut Ritschelius quem Bembini et reliquorum codicum optimorum conlationem habere constat. Optimum igitur uisum est integrum fragmentum duabus paginis excudi; sed scripturae compendia typotheta exprimere non potuit (quod sane dolendum) nec addidi glossemata singulis uocibus hic illic litteris maxime minusculis ab altera manu suprascripta, et ita quidem ut plerumque nullis artibus legere possem. Sed omnia, si ex iis quae contigit ut legerem iudicium facere licet, ita comparata sunt ut silentio possint transiri.

Continet autem fragmentum: Phormionis V 8, 17 ad finem usque fabulae et Heautontimorumeni Argum. integrum et Prol. uers. 1-8. Jam uero, cum quod primum mihi proposueram ut hoc eodem loco de integro Terentii codice seruato in bibliotheca Patrum Franciscanorum Posoniensium scripto, ut in fine codicis diserte ascriptum est, anno MCCCCLXII pauca praefarer, propter temporis spatiique huic scriptiunculae conmissi angustias nunc uideam me persequi non posse, haec cum conlatione aliud expectent tempus; subdidi tamen ex eodem uarias scripturas ad hoc fragmentum spectantes.

Phormionis V 8, 17—54.

filiam suscepit iam unam dum tu dormis. C. quid agimus. N. Pro dii inmortales.
facinus indignum et malum. D. Hoc factum est. P. An quicquam hodie est factum
indigniusq. mi ubi ad uxores uentum est. tum fiunt senes. N. Demipho
te appello. nam me cum ipso distedet loqui. hecine erant itiones
crebre. et mansiones diutine lemni? hecine erat ea quae nostros fructus
minuit uilitas? D. Ego nausistrata esse in hac re culpam meritam non
nego. sed ea quae sit ignoscenda. P. Ver[b]a fiunt mortuo. D. Nam
neque neglegentia tua. neque odio id fecit tuo. uinolentus fere ab-
hinc annos sedecim mulierculam eam compressit. unde hec nata est.
neque postillam umquam attigit. ea morte obiit. e medio abiit. qui fuit [in hac re
scrupulus. quam ob rem te oro. ut alia facta tua sunt. equo animo hoc feras.
N. quid ego equo animo? cupio misera in hac re iam defungier. sed quid
sperem? etate porro minus-paccaturum putem. iam tum erat senex.
senectus si uerecundos facit. an mea forma. atque etas magis nunc
expetend[a] est demipho? quid mi h[ic] adfers. quam ob rem expectem aut
sperem porro nonfore. P. Exequias chremeti quibus est comodum ire. iam
tempus est. Sic dabo, age nunc. phormionem qui uolet lacessito. faxo
tali sit mactatus atque hic est infortunio. redeat sane in gratiam
iam supplicii satis est mi. habet hec ei quod dum uiuat usque ad aurem
oggammiat. N. At meo merito credo. quid ego nunc comemorem
demipho singillatim. qualis ego in hunc fuerim? D. Noui eque omnia
tecum. N. Meriton hoc meo uidetur factum? D. Minime gentium. uerum
quando iam accusando fieri infectum non potest. ignosce. orat. confitetur.
purgat. quid uis amplius? P. Enimuero priusquam hec dat ueniam mi
prospiciam et phedrie. Heus nausistrata. priusquam huic respondes
temere audi. N. quid est? P. Ego minas triginta perfallaciam ab illo
abstuli. eas dedi tuo gnato. is pro sua amica lenoni dedit.
C. Hem quid ais? N. Adeon hoc tibi indignum uidetur filius homo adolescens
si habet unam amicam. tu uxores duas nihil pudere. quo ore illum
obiurgabis? responde mi. D. faciet ut uoles. N. Immo ut meam

1 proh — 2 post indignum insertum habet miserandum — factum est — 3 indignius qui — mi om. — 4 cum hoc ipso — heccine ita etiam uers. 5 — 6 minuebat — 7 eam — 8 negligentia — 9 quindecim — 10 post illam — in hac re uerba in fragm. sunt in margine ascripta — 11 tua facta — 12 ego om. — 14 fortuna sed alt. m. supra scr. forma — nunc magis — 15 expetenda; a litt. in fragm. erasa est; talia ubique hoc signo [ ] indicaui; uid. u. 7 — hic om. — affers — 16 cremeti — 17 age nunc age — 18 sit mactatus] eum mactatum — sane om. — 28 obganniat — an — nunc ea commemorem — 21 ego om. — in istum nunc — 26 ab isto — 28 tibi hoc — 29 duas uxores — 30 faciat — ut iam scias meam sententiam.

Phormionis V 8, 54 usque ad finem. Heautontimorum. Argum. et Prolog. 1—8.

scias sententiam. neque enim ignosco. neque permitto quicquam nec respondeo priusquam gnatum uidero. eius indicio permitto omnia. quod iubebit faciam[P.] Mulier sapiens es nausistrata. **N.** Satin tibi est? **P.** Immo uero pulchre discedo et probe et praeter spem. **N.** Tu tuum nomen dic quod est. **P.** Mihin. phormio uestrae familiae hercle amicus. et tuo summus phedriae. **N.** Phormio. at ego ecastor post hac tibi que potero. et que uoles. faciamque et dicam. **P.** Benigne dicis. **N.** Pol meritum est tuum. **P.** Vin primum hodie facere quod ego gaudeam nausistrata. et quod tuo uiro oculi doleant? **N.** Cupio. **P.** Me ad cenam uoca. **N.** Pol uero uoca. **P.** Eamus intro hinc. **C.** Fiat. sed ubi est phedria iudex noster? **P.** Iam hic faxo aderit. VOS VALETE ET PLAVDITE. **P. TERENTII AFRI PHORMIO EXPLICIT FELICITER INCIPIT EIVSDEM HEAVTONTIMORVMENOS ARGVMENTVM IN HEAVTONTIMORVMENOS.**

IN MILITIAM PROFICISCI GNATVM CLINIAM AMANTEM antiphilam compulit durus pater animique sese angebat facti penitens. mox ut reuersus est clam patre diuertitur ad clitiphonem. is amabat scortum bachidem. cum arcessiret cupitam antiphilam clinia. et eius bachis uenit amica. ac seruolae habitum gerens antiphila. factum id quo patrem suum celaret clitipho. hic tegnis syri decem minas meretricule aufert asene. antiphila clitiphonis repperitur soror hanc clinia. aliam clitipho uxorem accepit. PROLOGVS.

NE CVI VESTRVM SIT MIRVM CVR PARTES SENI POETA DEderit. que sunt adolescentium id primum dicam. deinde quod ueni eloquar. ex integra greca integram comediam hodie sum acturus heautontimorumenon duplex que exargumento facta est simplici nouam esse ostendi. et que esset. nunc qui scripserit et cuia

---

31 **quicquam neque** — 32 **uideo** — 33 **quod is** — | **Phor.** — 34 **tu** om. — 35 **michin** ubique — 36 **sumus** — 40 **uoco** cod. **uoca** supr. scr. o litt. fragm. — 42—47 **et uos ualete et plaudite caliopius recensui. finis phormionis. Incipit Echira. Acta ludis romanis Sexto Iulio Cesare. Gneio cornelio Edilibus curulibus. Non est peracta tota. Modos fecit flaccus. claudi tibiis paribus. Gneio Octauio T manlio Cousulibus relata est iterum ludis funebribus relata est tertio Quinto fuluio L. Marco edilibus curulibus.** Haec inde ab **Incipit** uoce alt. m. addidit. — Argumentum in nostro codice deest usque ad medium uersum nam unum folium eo loco est expulsum; sed praeter hoc nullum. — 52 **fictum** — 54 **auffert** — **reperitur** — 55 **accipit** — 56 hic uersus in cod. minusculis scriptus — **greca** alt. m. sup. lin. scripsit.

Dabam Posonii
Kal. Iul. a. CIƆIƆCCCLVI

Dr. Franz Pauly.